

& rebus diversiffimis tribui, nō negamus. Vid. *Gerhard. Tom. 1. L. L. de Spiritu sancto* f. 8 p. 550. *Simlerus l. 4. de Filio & S. S. c. 1. p. 285.* *Zanchius de tribus Elohim. l. 1. c. 3. p. 488.* Atque sic nonnunquam denotare motus divinitus excitatos, verū hoc probetur, motus divinitus excitatos TANTUM significare. Nam per vocabulum Spiritus nonnunquam etiam personam per se subsistentem intelligi, Disput. superior. 10. probatum est, posito itaque, in locis supra thesi 18. allegatis per Spiritum intelligi dona S. S. peculiaris, quæ in credentibus operatur, atque sic respectū fieri ad illud *Ephes. 3. v. 7.* Unicuique à Spiritu S. datur gratia pro mensura doni Christi, hoc est, discrimina sunt donorum, in aliquibus dupla, tripla, nulla, minima, prout ea Unus & idem Spiritus distribuit, sicut vult. Confer. *1. Corinth. 12. v. 4. 8. seq.* Ergone nulla alia loca dantur in quibus Spiritus pro personā per se subsistente sumitur? quæ consequētia? Imò expressissimè Spiritus, ceu dator, & dona, in nonnullis locis distinguuntur, multò minus hæc & similia dicta possunt vel debent eò torqueri, quasi statuatur in eis, Spiritum S. non esse personam.

XLVI.

Quod verò subnectitur, vocari DONUM, ad illud *Supra Th. 41.* Responsum dedimus. Deinde personam personæ dari non posse, falsum est. Nam *Filius datus est nobis. Esa. 9. v. 6.* Christus semetipsum dedit *1. Tim. 2. v. 6.* Tertio personam neminem sibi dari, petere, nullibi invenimus. Quarto virtutem appellari concedimus, sed quæ consequentia, Ergo non est persona? nonne effectus nonnunquam sumitur pro causā? Sic Christus DEI vocatur *sapientia 1. Corinth. 1. v. 24.* Ergone non est persona? non sequitur. Nonnulli distinguunt inter vocabulum virtutis, quod duplici modo sumitur. 1. eo sensu, quo reliqua attributa divina, Patri Filio & Spiritui S. communia sunt, quæ essentia tam Filius & Spiritus Sanctus, quàm etiam Pater est sapiens, potens, bonus, & sic vocant virtutem *ἐνεργητικὴν*. 2. aliquando pro virtute quæ est persona Spiritus sancti, & vocatur virtus *ὕποστατικὴ*; quando igitur dicitur, Virtus personæ esse non potest, intelligitur virtus non priori sed posteriori modo

D

modo